DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE ABORTU.

9

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE ABORTU.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS

UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BINGHAM, A. M.

HIBERNUS

Societ. Chirurg. Lond. necnon,

Societ. Med. Reg. Edinens. Sod. Ord.

AD DIEM V. JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS,

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.XCV.

Viro digniſſimo,

medico peritiſſimo,

LUCAE M'CAN,

qui artem Hippocraticam,

cum ſummo generis humani commodo,

apud ARMAGH, exercet,

Avunculo ſuo,

praeceptori et amico,

ob plurima beneficia,

quae in ſe conſtanter conferre dignatus eſt,

Haſce ſtudiorum primitias,

ea, qua par eſt, obſervantia,

D. D. C. Q.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE ABORTU.

EA eſt conſtitutio hominis corporea, ut non tantum morbis variis, intellectu difficilibus, et periculoſis, poſtquam in lucem ſuſceptus eſt, pateat; ſed etiam caſibus numeroſis, quibus vita extingui periclitatur, a primo temporis momento uſque, ex quo potentia Divina principium vitale ei inſerendum curavit, objiciatur.

Ob haſce rationes, quae quidem graviſſimae ſunt, omnia, quae abortum faciunt, attentionem omnis medici probe merentur; nam quidnam ſocietatis humanae magis referre po-

teſt, quam in eas rationes, quae ad numerum incolarum cujuslibet nationis diminutum praecavendum accommodantur, accurate inquirere?

Abortus autem progeniei non magis funeſtus eſt, quam, multis in exemplis, genitricibus ipſis nocivus; quoniam malis numeroſiſſimis fundamenta jacit, quae vel vitam ſolatio privant, vel ſpatium ejus brevius efficiunt. Igitur non opus eſt, ut memet excuſem, quod abortum, ut argumentum hujuſce opuſculi, mihi ſelegerim; licet, quantum ad modum, quo eum fuerim executus, hoc neceſſarium eſſe exiſtimetur. Igitur prooemio nihil amplius adjiciam, ſed ad inceptum redibo.

DEFINITIO MORBI.

" Foetus immaturi, ſaepius cum haemorrhagia, ex utero excluſio."

HISTORIA EJUSDEM.

Quo tempore foeminae abortum facere maxime periclitantur, id eſt a nona ad duodecimam praegnationis hebdomadam. Quanquam idem infortunium quoque, temporibus graviditatis provectioribus, accidere ſolet.

Igitur ſigna, quae abortum comitantur, in ea, quae menſibus maturioribus, et ea, quae poſterioribus ſemet oſtendant, dividantur neceſſe eſt.

Signa autem, quae, graviditate nondum longe provecta, ſemet in conſpectum dare conſueverunt, hujuſcemodi ſunt.

I. Univerſa et ſubitanea nauſeae matutinae ceſſatio.

II. Ponderis frigoriſque, in regione uterina, ſenſus.

III. Lumborum, dorsi vel abdominis dolores, vel leves, in regione uterina, spasmodici.

IV. Sanguinis profusio, cum expulsione aliquanti membranae deciduae.

Caeterum, mensibus praegnationis provectioribus,

I. Uterini dolores ad naturam angorum laboris magis accedunt.

II. Motus foetus ex toto cessat.

III. Tumor abdominis subsidit, et mammae flaccescunt.

IV. Liquor amnii effunditur, et os uteri dilatari incipit.

Haec signa vero non semper ordine, quo fuerunt comprehensa, semet ostendunt; namque haemorrhagia nonnunquam dolores, et dolores aliquando, contra, haemorrhagiam antecedunt. Interdum ovum universum, eodem tempore, expellitur; frequentius vero foetus prius descendit, deinde pars ovi reliqua, vel

conjunctim, vel ſeparatim, portionibus ad putredinem inclinantibus. Quibuſdam in exemplis, ovum, in ſpatium temporis non modicum, retinetur, per os tincae ex parte ante protruſum; quod multum doloris, et, ob profuſionem ſanguinis continuam minimeque intermittentem, deliquium animi minaciſſimum conſtanter facit. Poſt tertium menſem, foetus aliquandiu, ante ſecundas, expellitur. Hoc vero, in tempus diuturnum, fuit notum.

CAUSAE PRAEDISPONENTES VEL SEMINIA.

Haec, in matre ſola exiſtere poſſunt; namque, foetu extincto, abortus, poſt aliquantum temporis, neceſſario incidit, ſine ope cujuslibet alius cauſae.

Cauſae praediſponentes duplices eſſe videntur.

I. Affectus ſyſtematis univerſi.

II. Affectus utero proprii.

I. Quantum priorem claſſem ſpectat, nempe affectus ſyſtematis morbidos, ſub ea comprehenduntur, 1. defatigatio; 2. plenitudo; 3. debilitas vel irritabilitas univerſa; 4. conſuetudo abortus.

1. Defatigatio, debilitatem toti ſyſtemati univerſam inferendo, magnam ad abortum proclivitatem facit. Eodem poſſunt referri omnia inſueta et abnormia, cujuſcunque generis ſint, diuturna videlicet vigilia, jejunium, multa ambulatio et equitatio, labor durus protractior, et diu ſtare.

2. Plenitudo ſeminium frequentius eſſe poteſt, quam univerſe nuper fuit creditum. Hanc ſyſtematis conditionem, menſibus graviditatis maturioribus, plurimum invaleſcere, neminem obſtetricium exercentem fugit; et a menſtruis ſuppreſſis proficiſci vulgo creditur.

3. Debilitas univerſa, vel irritabilitas conſtitutionis corporeae faeminas ad abortum pronas efficit. Cum mulieres debiles, infirmae, et ad hyſteriam alioſque morbos nervoſos proclives, conceptionem faciunt, eam brevi poſtea frequenter ſubſequitur abortus. Hinc vero minime cogi debet, omnes mulieres debiles et irritabiles abortum facere; namque ſaepe fuit notatum, foeminas, quae moribundae eſſe videbantur, et nonnullas etiam, quae, propter vires convulſas, concidebant, pueros vitales, menſibus graviditatis expletis, fuiſſe enixas.

Multi auctores, ſub hac claſſe, comprehendunt omnes morbos, quos, debilitatem faciendo, abortum facere poſſe exiſtimant; quales ſunt ſcorbutus, ſcrophula, lues venerea &c.

E compluribus exemplis, in medium a profeſſore obſtetricii Edinenſi prolatis, conſtare videtur, hoſce morbos aliter, nempe foetum

perdendo, agere. Saltem, quantum ad ſcorbutum et luem veneream attinet, pro comperto habetur, labem parentum veneream, quanquam nullae ejus notae externae percipi poſſint, in cauſa, cur abortus accedat, eſſe frequenter.

Mihimet quoque perſuaſum habeo, ſcrophulam, etiam inveteratam et graviſſimam, niſi alia cum ea conjungantur, mulieres abortui opportunas non reddere.

Vir jure clarus, DR. HAMILTON, memoriae prodit, " that he attended a lady, who had, for many months, had a large ſcrophulous tumor in the neck, which had gradually exhauſted her; yet ſhe was, at that time, ſeven months pregnant."

4. Conſuetudo Abortus. Haec eſt ſeminium tam potens et efficax, ut mulieres pauciſſimae, quae ſemel abortum fecerint, in idem infortunium, per omnem praegnationem

ſubſequentem, non incidere non periclitentur; vel ſaltem ſigna ejus minacia jure perhorreſcant. Equidem, poſt duos treſve abortus, in primis eſt difficile, ut muliercula partum, ad menſes graviditatis abſolutos, conſervet, facere.

II. Claſſis ſeminiorum ſecunda, viz: affectus utero proprii, I. debilitatem, II. rigiditatem, et III. uteri irritabilitatem; et IV. denique tumores uterinos, comprehendit.

I. Debilitatem uteri. Hanc mulieres non raro invadere, ex analogia effici poteſt. Ita attentionem noſtram fugere non poteſt, alia corporis organa, qualia ſunt oculi, veſica urinifera, pulmones, &c. in aliis hominibus, quam in aliis, infirmiora eſſe ſolere. Hinc plane poteſt concludi, uterum eidem vitio poſſe patere. Caeterum obſervatio hoc indubitabile reddit; namque plurimae mulieres, alioquin ſanae et valentes, foetum, ad tempus gravidi-

tatis expletum, nequeunt reſervare.

II. Rigiditatem. Uterus magnitudine, per ſpatium graviditatis, gradatim increſcit. Si huic auctui igitur occurrat, ſtructura organi, vel ex toto, vel ex parte, rigida, ea, quae eo contineantur, vel occidantur, vel praemature excludantur oportet.

III. Tumores. Quanquam hi ab auctoribus multis, ut ſeminia, memorantur; tales tamen caſus rariſſime ſemet oſtendunt. Namque mulieres, dum tumor in utero ſubſtat, conceptionem non ſaepe faciunt; quoniam tumor vel totum uteri cavum naturale, quod perquam exiguum eſt, praegnatione abſente, repleat, vel, ſi amplus eſt, os uteri dilatet, idque gradatim, et in vaginam dependeat neceſſe eſt, in alterutro quorum caſuum, nulla omnino conceptio fieri poteſt.

Tumores tamen ſuperficiei uteri externae eſſe poſſunt, qui, uterum, ultra certos limites

extendi impediendo, pro ſeminio abortus certiſſimo poſsunt haberi.

IV. Irritabilitatem. Niſi haec abortus cauſa communis eſſe ponatur, qua ratione certa ſeminia agant, exponere erit difficile. Uterum autem quarundam mulierum perquam irritabilem eſſe multa docent.

NOXAE, CAUSAEVE ABORTUS EXCITANTES.

Hae autem, vel in foetu, vel in matre, exiſtere poſſunt.

Quae matrem ſpectant, eae hujuſcemodi ſunt:

I. Eac, quae ſyſtema univerſum afficiunt.

II. Eae, quae, uterum recta ſtimulando, agunt.

I. Sub claſſe priore comprehendi poſsunt

1. Omnes morbi acuti.

2. Affectus animi.

3. Omnes corporis agitationes violentae.

1. Neminem, per longum temporis ſpatium, latuit, morbos acutos abortum facere poſſe. La Motte, et Mauriceau, praeſertim prior, quaedam de hoc argumento, attentione digniſſima, poſteris prodiderunt. Ille ex experientia propria concludit, omnem febrim, etiam indolis mitiſſimae, per decurſum praegnationis, abortum facere magnopere periclitari. Fortunate vero evenit, mulieres, praegnatione ſubſtante, quam eadem abſente, omnibus morbis acutis multo minus objici.

2. Affectus Animi. Caſus, ubi abortio per affectus animi fit, ſunt innumeri. Unuſquiſque auctor exempla hujuſmodi memoriae prodit, et experientia omnis diei oſtendit, hoſce eſſe cauſas abortus forſitan in primis frequentes. Ira, furor, et motus animi ſubitanei mulieres abortui objectare, ut omnes norunt, ſin-

gulis diebus, consuerunt. Quae affectiones animum contristant, eae non tantopere sunt pertimescendae; quanquam, cum invadunt, et violentius urgent, cosdem quoque effectus edunt,

3. Omnes corporis agitationes violentae. Nisus violenti abortum saepe progignunt, quales sunt risus immodicus, multa saltatio, tussis frequens dura, conamina evomendi violentiora et ad idem proclivitas, et paroxysmi epileptici.

II. Sub classe posteriore comprehenduntur ea, uterum stimulando, quae recta agunt, vel viscera ei vicina afficiunt.

1. Stimuli ei ipsi quam proxime applicati.

A. Diarrhaea gravior et tenesmus causis, quae abortionem mulieribus inferunt, diu fuerunt annumerata. Hinc originem deduxit vetus aphorismus: "Mulieri uterum gerenti si tenesmus supervenerit, facit abortum." Ad i-

dem infortunium progenerandum conferunt, durities alvi magna et diuturna, haemorrhois; dolor, difficultas niſuſve urinae reddendae violentiores.

B. Stimulis in uterum ipſum agentibus, in primis, accenſeri debent faſciae, vel veſtimenta quaelibet thoraci abdominive arctius circumdata. Horum mentionem fecit vir clarus Mauriceau. Et magnopere quidem nocent, idque ſaepiſſime; namque, certis modis mundi muliebris invaleſcentibus, per preſſuram, qua uterum, cum e pelvi emerſit, afficiunt, ad abortum mulieri, ad eum jam pronae, inferendum plurimum conferant neceſſe eſt.

Qui vero ſtimulus in uterum ipſum frequentiſſime agit, is eſt coitus immodicus.

Quae foetum ipſum ſpectant, ea ſubſequuntur.

Cauſae autem abortus, quae in foetu exiſ-

tunt, ſunt omnia ea, quae vel ad eum extinguendum, vel ad injuriam appendicibus ei neceſſariis, ut placentae et membranis, inferendam facere poſſunt. Hinc, non ſine ratione graviſſima, cogi poteſt, non pauciores forſitan abortus cauſas foetui, quam matri, ineſſe poſſe; namque haud dubie pueri in utero, eodem modo ac poſtea, ſaepe fato concedunt, nullo genitricis vitio affecti, ut et pueros et adultos, omnibus vitae temporibus, diem ſupremum obire comperimus. Igitur jure poni poteſt, principium vitae, fabricae humanae ſemel inſitum, per varios caſus, quolibet, initium ejus primarium inter et aetatem longiſſimam, quam mortalibus attingere datur, tempore, poſse deleri. * Pueri, viro varioloſo contaminati, in lucem fuerunt ſuſ-

* Hoffmannus celeberrimus exemplum memoriae prodit, ubi mulier puerum, cui calculus urinarius in veſica urinifera fuerit, excluſerit.

cepti, et a multis medicis, quibus fides nequit derogari, viſi. †

Unus morbus pueris, in primis, funeſtus eſt, lues nempe venerea; modum vero, quo haec cum illis communicetur, non clare exponere poſſumus. Namque caſus ejus, qui frequentiſſime ſemet oſtendunt, non ab ullo vitio utrius libet parentis externo proficiſci poſſunt demonſtrari. Negatum quidem fuit, pueros unquam, rebus ita ſeſe habentibus, hoc morbo laborantes, utero materno prodire; ſed res numeroſae, verae et indubitabiles, omnem uniuſcujuſque, qui nullius in verba magiſtri jurare ſit addictus, ſuper hac re, dubitationem nunc ex toto ſuſtulerunt. Quae ſequuntur, ea documentum ejus, quod modo aſſeruerimus, luculentiſſimum nobis ſuppeditant. "DR. ALEXANDER HAMILTON

† Vir clarus DR. A. HAMILTON multa exempla vidit, ubi, in pueris, quos mortuos genitrices fuerint enixae, hepar totumque ſyſtema, ſecretioni et excretioni bilis deſtinata, morbo laboraverunt.

mentioned, about 20 years ago, in his lectures, as the reſult of his practical obſervation, that whenever women produce repeatedly children, who had apparently died, about the fifth, ſixth, or ſeventh month of geſtation, a ſyphilitic taint in the husband ought to be ſuſpected, although the wife ſhall have never had any ſymptom of the diſeaſe. Since that time innumerable caſes have occured, which have compleatly eſtabliſhed the truth of this obſervation." ‡

Difficultas, qua haec res involuta ſit, magna in cauſa fuit, cur plerique e noſologis celeberrimis ſibi in animum induxerint inficiari, eventum hujuſcemodi unquam incidere poſſe; et, cum teſtimonio ſenſuum ſuorum obſiſtere nequiverint, quandocunque puer in lucem, vivus, ſuſceptus eſt, et, notas morbi

‡ Vide Select Caſes of Midwifery, extracted, from the records of the Edinburgh Lying in hoſpital, by JAMES HAMILTON junior M. D. p. 94.

venerei, circa partum brevive poſtea, oſtendit, momento concluſerunt, foetum, dum per vaginam deſcenderet, tantum fuiſse infectum.

CAUSA PROXIMA.

Quod abortionem autem facit, id eſt ovi ab utero disjunctio, et violenta ejus viſceris contractio; unde omnia ſigna, abortui propria, evidentiſſime proficiſcuntur.

PROGNOSIS.

Haec a tribus, graviditatis tempore, cauſarum excitantium et ſignorum natura, pendet.

1. Menſibus maturis, vita mulieris nulli omnino periculo objicitur; etenim, ſi morbus naturae ſoli concredatur, minacia ſigna gradatim decedunt. Contra, menſibus poſ-

terioribus, poſt foetus animationem, praegnans ſummo in periculo verſatur.

2. Si abortus a morbis acutis profluat, vel ſi ad artem, ejus faciendi, decurratur, plerumque exitio eſt.

3. E ſignis ſolis potiſſimum, ut in pleriſque aliis morbis, qualis abortus eventus futurus ſit, judicari poteſt. Si, graviditate nondum longe provecta, profuſio ſanguinis accedat, quam nullus dolor comitetur, quamque nulla nauſeae matutinae ceſsatio praeceſserit; et ſi, menſibus poſterioribus, eadem ſigna in conſpectum ſeſe dent, nullo dolore uterino, nulla liquoris amnii effuſione, nulla mammarum flacciditate, ſtipata, ſumma ratio non deeſt cur ſperemus, aegrotantem foetum, ad tempus praegnationis expletum uſque, eſse reſervaturam. Si vero ſigna, hiſce contraria, oriantur; exitus morbi quoque, modo poſito contrarius, eſt expectandus.

RATIO MEDENDI.

Consilia autem abortui medendi duo esse videntur:

I. Signa, quae adsunt et urgent, levare.

II. Abortum, in futurum, praecavere.

I. Primo autem Consilio quatuor respondent: 1. Utrum abortus sit probabilis, statuere. 2. Profusionem sanguinis compescere. 3. Expulsionem ovi adjuvare. 4. Sanitatem systematis universam, et tonum organi affecti restituere.

1. Permagni quidem momenti est tam accurate, quam fieri potest, statuere, utrum probabile necne sit, abortum esse oriturum; quoniam aliter obstetricium faciens, quo minus aegrota partum, ad plenam maturitatem, reservet, obstare; sed etiam conditioni uteri adeo debilitatae vel irritabili, ut, in posterum,

puerum vivum nunquam eniti poſsit, fundamenta jacere periclitatur.

Non igitur protinus, ut moris medicorum communis eſt, ponatur, abortum, quoniam ſigna ejus ſemet oſtenderunt, neceſsario et pro certo incidere oportere. Contra, unumquemque, qui ſaluti aegrotantis curae ſuae demandatae rite conſulere velit, in ea, in prognoſi jam enumerata, accurate diligenterque inquirere decet; unde, utrum ovum ab utero jam, necne, disjunctum ſit, diſci poteſt.

Verum quidem eſt, modum praegnantes, quas abortio infeſtatura eſſe videatur, curandi contrarium, in praeſentia, invaleſcere, ob opinionem, quae nimis longe lateque ſe diffuderit, haemorrhagiam nempe, per maturos graviditatis menſes, accedentem tantum puero, ut vix edi poſſit vitalis, injuriae conſtanter inferre. Hinc temere concludi ſolet, ſummae crudelitatis eſse, valetudini genitricis commo-

dae nocere, ut, poſt multos dolores et incommoda ſuſtentata, infantem debilem et enervem, qui vitam ephemeri vix excedere poteſt, ad extremum, parere valeat.

Adverſus opinionem hujuſcemodi, auctori hujuſce opuſculi liceat notare, ſibi abunde conſtare, pueros valentiſſimos et quam maxime vitales nonnunquam fuiſſe excluſos, poſtquam mater, menſibus maturioribus, omne ſignum ediderat, quod obſervatoribus parum attentis, abortum appropinquare, poſſet indicare. Qui vir clarus eum obſtetricii artem docuit, is eandem in ſententiam conceſſit.

2. Sive regula prior neglectui habeatur, ſive ad eam attendatur, ſecunda minime levis parumque neceſſaria haberi debet; namque, multis in exemplis, prufuſio ſanguinis copioſa eſt, et aegrota miſeranda ſummo in periculo verſari videtur. Hocce ſignum eſt, quod maximum aegrotantem nutrientibus terrorem

incutit; quanquam, si morbus rite curetur, parum, cur exitus ejus reformidetur, causae est. Non quidem negari potest, exempla memoriae posterorum ab iis, quorum auctoritas in primis venerabilis est, tradita fuisse, in quibus mors a sanguinis profusionibus, graviditate nondum multum spatii habente, profluxit. Vir, jure celebris, DR. DENMAN tabulam, phaenomena, quae, cadavere inciso, in casu hujusmodi fuerunt conspecta, repraesentantem, in vulgus edidit. Caeterum, in omnibus hoc genus exemplis, non parum causae esse videtur, cur mortis causam a prava et imprudente curatione fuisse profectam suspicemur.

Quo haemorrhagiae rite occurratur, utrum activa vel passiva sit, comperiri debet. Hoc, quantum ad usum practicum attinet, summi momenti est; quoniam, in numero exemplorum longe majore, signa sunt, quae

haemorrhagiam activam subesse denotant, cum revera passiva est. Igitur, si hoc non probe intelligatur, in viam medendi exitiosissimam procedi periclitatur. Hoc, facillime, potest exponi; namque, quandocunque effusio sanguinis ex utero, praegnatione substante, incidit, non parum metus mulieri injicitur, et actio cordis arteriarumque acceleratur.

Cum igitur conditio pulsuum arteriarum, per haemorrhagiam, non veram profluvii naturam indicet, medicus, quaenam debeat agere, aliunde discat oportet. Praecipua autem horum ab historia aegrotae antecedente solummodo possunt deduci.

Si signa plenitudinis universae notas abortus praecedant; si nulla causa mechanica, unde signa posteriora oriantur, detegi possit; si calor corporis per spatium profusionis, multum intendatur; et si ictus arteriarum sint valentes et duri, vel oppressi, parum, quin

haemorrhagia ſit activa, poteſt dubitari. Sin, contra, notae abortionis per aliquam cauſam, mechanica vi agentem, factae fuerint, et ſi eaſdem non anteceſserint nonnulla plenitudinis ſigna; rebus ita ſe habentibus, licet pulſus arteriarum duri plenive ſint, haemorrhagia pro paſſiva habenda eſt. Rurſus, quanquam ex hiſtoria praecedente, eam ſub initia, activam fuiſse concludi valet; paſſiva tamen, ob profuſionem nimiam, ante evadere potuit, quam medicus fuit arceſſitus. Res ita ſeſe habere judicari poteſt, ſi vires aegrotae multum convulſae ſint, ſi ictus arteriarum debiles languidive ſint, vel fluctuent, et extrema corporis gradatim frigeſcant.

Si haemorrhagia activa ſit, eae rationes communes, quae ad hocce profluvium, et quodlibet aliud, compeſcendum accommodantur, in uſum revocari debent, viz: ſanguinis detractio, ſalium mediorum uſus, regimen anti-

phlogiſticum, et corpus aegrotantis aeri frigido libere objectum.

Ad ſanguinis miſſionem caute tamen confugiatur. Si profuſio nimia fuerit, parum neceſsaria eſt, et detrimento eſse ſolet. Contra ſi pulſuum conditio, et ſigna antecedentia eam neceſsariam eſse demonſtrent, ſex, octo decemve unciae tantum eliciantur.

In caſibus hujuſmodi ſal medium efficaciſſimum eſt nitrum. Si vero alvum ſolvere neceſse ſit, ut ad ſales purgantes decurratur oportet. Quantum illud ſpectat, parvulis doſibus, ex aqua frigida recens diſsolutis, a granis quinque ad decem uſque, ſingulis horis, ſi ventriculus tantam quantitatem poſſit tolerare, detur.

Quantopere regimen antiphlogiſticum adhibere, et corpus aeri frigido liberaliter objicere conveniat, neminem latere poteſt. Igitur

non opus eſt, ut unum verbum amplius, de hac re, adjiciam.

Si haemorrhagia paſſiva ſit, per ea tantum, quae organo, unde proficiſcatur, topice admoventur, compeſci poteſt. Duas autem haemorrhagiam paſſivam coercendi rationes ſibi adſcivit natura, viz: coagulorum in finibus vaſorum ruptorum extremis formationem, et diametrorum eorundem contractionem. Prior harum ad profuſiones ſanguinis ex utero limitibus juſtis circumſcribendas minime ſufficit, quod coagula non citius formantur, quam actione uteri diſrumpuntur. Cum idcirco progreſſui profuſionis ſanguineae tantum, per poſteriorem ex hiſce rationibus, occurri poſſit ulteriori, medicum naturae, in opere ſuo abſolvendo, auxiliari oportet. Hoc optime praeſtabunt applicationes topicae, quales ſunt lintea in aqua frigida intincta, regioni lumborum, pubi partibuſque externis

admovenda. Si hae non proficiant, miſtura aceti aquae que ex toto frigidae in vaginam, ope ſyphonis, immitti debet; et, ſi haemorrhagia nihilominus perſtet, turunda, e lino confecta, et liquore adſtringente ex toto humectata, in vaginam introduci debet. Haec eſt id, quod galli tempon appellant, et pro modo profluvii, per menſes graviditatis maturiores, cohibendi minime fallace habendum eſt. Si actio cordis arteriarumque, quanquam profuſio ſanguinis ſit paſſiva, acceleretur, ad opiata, et acidum vitriolicum quoque, forma idonea dandum, tunc confugi poteſt. Cum haemorrhagia, menſibus graviditatis poſterioribus, violenter urget, diametri vaſorum adeo amplae ſunt, ut eam contractionem, quae profluvio obſiſtere valet, recipere nequeant. Igitur, ſalus aegrotantis ab eo auxilio, quod manus obſtetricium exercentis poſſunt ſuppeditare, ex toto pendet.

3. Praegnatione nondum longe progreſsa, nec facile, nec ſaepe neceſsarium eſt expulſionem ovi adjuvare. Nulla medicamenta, ventriculo recepta, actionem uteri, praeterquam viſcera ei vicina ſtimulando, excitare poſſunt; et tantum poteſtatis ſtimulatricis ad hunc effectum edendum neceſsarium eſt, ut hoc conari periculo non modico conſtanter ſtipetur, et igitur ab eo, ex toto, abſiſti debet. Contra, moles uteri tam exigua eſt, ut manus nihil auxilii poſſint praebere, et nedum inſtrumentum quodlibet, adhuc repertum, in eundem tuto invehi poſſit.

Propter has cauſas, medici ab omni uteri, dum abortus, per maturiores graviditatis menſes, invaſurus eſſe videtur, examine deſiſtere debent. Si vero profuſio ſanguinis remediis communibus ſupprimi nequeat, et dolores uterini aegrotam graviter infeſtare pergant, duo dextrae digiti, quo ſentiri poſſit, utrum nec-

ne ovi portio per os uteri protrudatur, immitti poſſunt. Si res ita ſeſe habeat, per digitos extrahi poteſt.

Minime rarum inuſitatumve eſt, totum ovum portionemve ejus aliquam, poſtquam omnia abortus ſigna dolentia et formidoloſa deceſſerunt, in utero reſtare, et profluvium e vagina foetidum facere. In exemplis hujuſmodi, aliquantum aquae tepidae in vaginam, bis terve ſingulis diebus, immittatur, et aegrota per vias ſalebroſas acrius rheda vehat. Quibuſdam in exemplis, enema, modice ſtimulans, ex aqua calida, olco olivae et unico ſalis communis cochleari majore compoſitum, ovum momento expellit, et matrem nimis diu exercitam omni labore liberat. Motus autem vehiculi, in exemplis pertinacioribus, id, quod omnibus votis exoptamus, efficaciſſime et proſperrime praeſtat.

Menſibus poſterioribus, uſitatiſſimum eſt, foetum ab utero facillime disjungi et expelli, dum placenta et membranae ei firmiſſime adhaerent. Cum multum periculi ab ovo in utero retento poſſit oriri, ad omnia conamina, quibus foetus expelli aut extrahi poſſit, ſaltem ad ea, quae a ſalute aegrotae non aliena ſunt, confugi debet. Huic conſilio, inprimis, inſervit, funem umbilicalem diligentiſſime conſervari, dextram operatoris, eo gubernatam, in vaginam immitti, et duos digitos in uterum inſinuari, et, ſi fieri poſſit, ad chordam, placentae inſertam uſque, promoveri, et deinde, per eam ſubſtantiam, tranſmitti, quo, ovum ſi ab utero ſit ſeparatum, facile extrahi poſſit. Quanquam etiam utero firmiter adhaereat, operator minime debet deſperare; namque, dum in eo leniter avellendo perſeveratur, actio uteri ſaltem excitabitur, et ita ovum ab utero disjungetur.

4. Poſtquam ovum eſt expulſum, abdomen per faſcias modice conſtringi debet. Aegrota lecto, in biduum triduumve, contineatur, pro viribus, quas ſibi fuerit adepta; et, ſi profuſio ſanguinis non profuſior fuerit, regimen antiphlogiſticum proſequatur, et etiam, rebus aliter ſe habentibus, nutrimen leviſſimum adhibeat.

Si ſanguis, poſt ovum expulſum, ex utero profundi pergat, acidum vitriolicum, doſibus idoneis, detur; et ſignis dolentibus vel multum moleſtiae aegrotanti faceſſcentibus, occurratur.

Poſtquam ſyſtema corporeum e concuſſione violenta, cui fuerit objectum, convaluit, debilitas, quae neceſſario ſupereſt, remediis, quae, in morbis hujuſcemodi, adhiberi conſueverunt, depellatur neceſſe eſt, qualia ſunt, diaeta certis limitibus circumſcripta, exercitatio lenis, uſus praeparatorum diverſorum e

chalybe, cortex Peruvianus &c.

Quod partibus relaxatis tonum reſtituit, id eſt balneum frigidum; quod, rebus ita ſe habentibus, haud dubie pro remedio efficaciſſimo poteſt haberi. Primum aegrotae praecipiatur, partes genitales, et igitur laborantes, aqua frigida, unoquoque veſpere et mane, lavare. Poſtea, aqua, a loco editiore, pubi affundatur, et, cum valetudo commoda univerſa fere eſt reſtituta, balneum frigidum plene liberaliterque adhibeatur.

5. Secundum medendi Conſilium, quantum univerſa ſpectat, ſummi momenti eſt; non tantum, quod, in maximo caſuum numero, abortui non poteſt occurri, etiam in iis qui ſummum ſexui foemineo periculum mortemque intentant. Igitur medicus, etiam doctiſſimus et prudentiſſimus, nihil aliud agere et conari laboret, quam ut abortus futuros, qui, per omnem praegnationem ſub-

ſequentem, quemlibet praecedentem excipere periclitantur, omni ratione ſapiente fugiendos et evitandos curet.

Hoc Conſilium autem Secundum duo, omnino diverſa, ſub ſeſe comprehendit. Nempe ſeminiis occurrere, et noxas cauſaſve excitantes vitare.

6. Horum priori conveniunt ſubſequentia:

1. Irritabilitas vel debilitas univerſa, quae, et una et utraque, pro ſeminiis morbi manifeſtiſſimis haberi poſſunt; et, morem in ſolitum, diaeta plena et lauta, exercitatione quotidiana, et nunquam, in unum quidem diem, intermittenda, lavatione frigida, et medicamentis corroborantibus, ſunt depellendae.

2. Plenitudo, cum ut ſeminium agit, non ſemper aeque manifeſte, ac debilitas, deſignatur. Hoc intellectu facile eſt; namque plenitudo tantummodo vocabulum, quod conditionem ſyſtematis unam alii, certis in rebus,

reſpondentem, ſignificat. Igitur, niſi ſtatum cujuſlibet corporis communem et ordinarium bene noveris, plenitudinem, ubi non magna et inſignis eſt, non facile notabis. Gradus autem plenitudinis leviſſimus ſeminium abortus conſtituere valet, et igitur, ut detegatur, omnino neceſſe eſt. Cauſa eſt, cur eam ſubeſſe ſuſpiceris, ſi aegrota dolore capitis, mane, tentetur, ſi calorem volarum et plantarum pedum &c. nonnunquam habeat, et ſi dolores dorſi, ventris aut pectoris fugaces ſentiat. Conditio pulſuum arteriarum, in exemplis hujuſcemodi, parum attendenda eſt, quoniam nullum certum ſignum, quo ſtatus ſyſtematis vaſculoſi verus ſtatui poſſit, ſuppeditat.

Poſtquam plenitudo pro certo fuit comperta, eam tollere minime difficile eſt. Rationes hoc praeſtandi manifeſtae ſunt, modicae ſanguines miſſiones, pro neceſſitate reiteratae, et diaeta parca. Ex inciſione exigua ſemper eli-

ciatur ſanguis, et dum, in poſitura horizontali, cubat aegrota. Tempus ſanguinis mittendi commodiſſimum pletumque eſt, a ſeptima ad decimam hebdomadam.

3. Vix notatu neceſſarium eſt, omne defatigationis genus cautiſſime vitari oportere.

4. Conſuetudo abortus eſt ſeminium, cui non ſine difficultate longe maxima, poteſt occurri; namque abortum in muliere, quae ei inſueverit, praecavere eſt penſum maxime arduum, quod medico poteſt injungi. Valetudo aegrotantis commoda, et felicitas futura tamen, uti omnibus abunde conſtat, ab hac conſuetudine prava devicta omnino pendent.

Curatio autem, illis in exemplis, tribus principiis univerſis conſtanter innititur; 1. ſeminium primarium, ſi etiamnum ſubeſt, removere; 2. ne aegrota rurſus praegnans evadat, cavere, donec vires et totius ſyſtematis et u-

teri reſtituantur; quod tertium curationis principium conſtituit.

5. Obſervationes, in medium jam prolatae, ad principium primum curationis abſolvendum prope ſufficiunt. E memoria tamen nobis non excidat, nullam unius ſeminii, antea commemorati, mentionem fuiſſe factam, debilitatis nempe et irritabilitatis uterinae, ubi exiſtunt, a nullo ſyſtematis univerſi morbo pendentes. Res hoc modo ſeſe habet, quanquam notitia hujuſce cauſae, ut abortus, certis in exemplis, rationem reddere poſſimus, facit, minime tamen inde ei occurrere valemus, nam nullum medicamentum adhuc fuit repertum, quod poteſtatem in uterum ſpecificum exercet.

6. Secundo abortum praecavendi conſilio inſervit ſejunctio aegrotantis a lecto mariti temporaria. Quam omnino neceſſaria haec ſit, abunde manifeſtum; nam uterus, per

requiem ſolam, vigorem priſtinum recuperare poteſt, vel ſaltem, ſine hac, tonus idoneus ei reſtitui nequit.

7. Tertio conſilio reſpondet lavatio marina, vel, quod ei forſitan praeſtat, balneum frigidum corpori, ſub forma imbris, effundens et omnia remedia, quae ſyſtematis corroborandi, adhiberi conſuerunt.

Magna fama, quam compluria loca, ubi lavacra reperiunda ſunt, ſibi comparaverunt, magis ab occaſionibus valetudinem commodam generalem reſtituendi, quas, per loca amoena, circulos juncundos, exercitationem modicam et conſtantem &c. ſuppeditant, quam ab ullis virtutibus, quas aquae poſſident, ſpecificis, pendet.

Quinetiam experientia demonſtrat, parum fructus, ſi maritus aegrotam comitetur, a lavacris hujuſmodi percipi ſolere.

8. Secundum, quod conſuetudini abortus

inveteratae occurrit, eſt cauſas excitantes vitare.

9. Huic conſilio potiſſimum accommodatur, aegrotam, in duas treſve hebdomadas, ante et poſt illud praegnationis tempus, quo abortus olim invadere conſueverit, lecto continere. Aegrota lecto diligentiſſime coercenda eſt, quo nihil a quolibet impulſo ſubitaneo, ab impreſſionibus externis oriundo, detrimenti capere valeat.

10. Omnes affectus animi violentiores ſumma cura vitentur.

11. Mens aegrotae omni arte, quae poteſt adhiberi, erigatur: quod ſummi quidem momenti eſt, quoniam metus abortus cauſae hujuſce infortunii excitantes vicem frequenter praeſtat. Propter hanc rationem, medicus aegrotanti ipſi multa de efficacia remediorum, quae praecipiat, audacter praedicet, et ad abortum praecavendum in primis accom-

data esse affirmet. Eandem ob causam, ne aegrotae cujuslibet innocui medicamenti, quod exoptet, usu interdicatur.

12. Omnis causa irritationis in systemate uterino caute diligenterque fugiatur. Hoc consilio, omnia vestimenta, quae corpus, potissimum abdomen, nimis constringunt, deponantur; alvus constanter soluta teneatur, et, ante omnia alia, venere, donec tempus periculosum praeterierit, abstineatur.

13. Si foetus, in abortionibus mensium posteriorum, notas viri veneri, quales sunt maculae lividae, in corpus diffusae, et odor perquam putridus et ingratus, monstraverit, et aegrota et maritus ad mercurium confugiant, et in usu ejus, donec non amplius possit timeri, perstent necesse est.

FINIS.

Med Hist
W4
G54
1795
B.1